



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. Politia Hibernorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 5. *Mores Hibernorum.*

Victus. Carniuori sunt forè omnes, ideóque laborant plerumque cruditate, cui malo medentur aquâ viuâ, eâque potentissimâ. Accumbunt in lectulis vbi edunt miro cum silentio. Mater numquam filium nutrit, sed dat eum nutrici atque nutricio, qui paris sunt apud alumnum cum patre, & matre æstimationis. Item collactanei se magis diligunt quàm fratres. Cùm ægrotat alumnus ex vltimis finibus Hiberniæ Nutricius aduolabit.

Vestes. Vtuntur ferè iis variegatis. Flauum colorem plurimi faciunt; vnde qui flauo sunt capillo comam nutrire solent ad ostentationem.

Nuptiæ. Apud eos præproperæ, virgo enim quandoque nubit anno decimo. Statim ac puer nascitur ei nomen imponitur, sed numquam patris, id enim ominosum credunt. Nominibus Magnatum & nobilium præfigitur littera O.

Artes. Apud illos raræ, ferè enim inertes, earum loco artem furandi exercent. Cùm manè exeunt domo furta sua Deo commendant optantque incidere in diuitem, quem spoliare possint. Quod intellige de exteris: nam inter se furta puniunt, & habent homunciones vili mercede conductos, qui diligenter fures inuestigent.

Funera. Cùm quis morti proximus accersuntur præfica quæ moribundi animam retineant. Vbi animam efflauit tota domus lamentis perstrepat, liberi, & coniux more fanaticorum vlulant. Ex bonis defuncti plus aufert, qui potentior est, & sæpe patruus nepotes hæreditate fraudat.

Bella. Quatuor habent militum genera: primum est Equitum, quorum equus dum conscenditur inclinat caput, Ephippia more Clitellarum pendent. Secundum peditum Statariorum qui iurant se numquam pugnam detrectaturos; eos vocant *Geleglasios*. Tertium leuis armaturæ, quos nominant *Karnos*. Quartum est Cursorum, *Daltinos* appellant. Vox militaris est *Pharo*, *Pharo*. Vtuntur autem fistulâ pro tubâ.

§. 6. *Politia Hibernorum.*

CERTVM putat Camdenus à Britannis occupatam primò Hi-

berniam, idque multis demonstrare nititur. Certissimum autem præcipitante iam Rom. Imperio Scotos siue Scythas, vel ex Hispania, vel ex Germania in eam appulisse. Apage enim hinc Cæsaream Noëmi neptem, & Scotam filiam Pharaonis Regis Ægypti; itémque Iberum, & Hermionem Hispanos, vt fabulas historiis indignas.

Quinam autem Reges hîc primùm imperarint non est facile dicere, ob fabellas quibus Historia implicita est. Sed paulò ante Carolum Magnum Noruegi, seu Nortmanni eâ potiti sunt, quibus exterminatis per indigenas successere Ostmanni qui insulam in quatuor Regna partiti sunt vsque ad Rothericum Regem Connaçia, qui sibi totius insulæ arrogauit imperium. Sed Dermicius ab eo in Angliam eiectus viam Anglis in Hiberniam strauit, à quibus restitutus est in Regnum per Comitem Penbrokiæ socerum suum. Verùm paulò post Henricus II. in Hiberniam transfuit in quem Rothericus, & ordines, annuente Hadriano Pontifice, ius Regni transmisere, & exinde Reges Angliæ *Domini* Hiberniæ dicti sunt vsque ad Henricum V I I I. qui in Comitibus Hibernicis Rex declaratus est, quia nomen *Domini* feditionis quibusdam displicebat. Exinde verò insula administrata est per Proregem qui antè Custos, & Conseruator Hiberniæ dicebatur. Hîc tamen perdurant aliqui Principes Hibernici exleges planè, habentque præfectos inferioris notæ à quibus iuuantur. Viuunt in arcibus oblitis luto, & muris cladibus atque grassationibus sese conficiunt.

CAPVT QVINTVM.

Angliæ diuisio.

§. I. Regnum Cantij, le Comté de Kent:

CANTVARIA: *Cantorbery*, vel *Cantorbie*, ad Fl. Sturam: *Stoure*:

Roffa: *Rocheſter* ad Fl. Meduueagum, *Mednuay*.

Douera: *Douure*, ad Fretum Gallicum, *le pas de Calais*.

Sanduicus: *Sanduuyk*, portus non incelebris.

Hide: *Hyde*, portus vnus ex portibus Thalassiarchæ commissis.

Darentus: *Dartfort*, seu *Darenfort*, ad Fl. cognominem.

Gra-